



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales**

In Quibus Vniuers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

6 De cambiis literis fieri solitis, quando nummularius primum dat  
pecunias, vt eas in alio loco recipiat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

dicti Doctores solum negant, cum cambia sunt inter loca vicina, licitum esse tantum lucrum, quantum ex cambiis, que sunt inter loca distantia: non inficiantur, aliunde licitum esse, vel minus lucrum, vel æquale ratione lucri cessantis, vel damni emergentis.

Septimò queritur, An privato homini, qui nummularij officio non fungitur, liceat ex tali cambio lucrum exigere? Respondent quidam cum *Sot lib. 6. de Iust. qu. 10. art. 1.* tuta conscientia posse exigere, nisi fuerit lege humana interdictum, nec quis, præter nummularios pecunias alicubi recipiat, ut alibi soluat. Ratio, inquit, huius est: quia qui recipit in vno loco pecunias solvendas in alio, eo ipso alteri inferunt: quia periculo, labore, & impensis aliò deportaret atque transferret: ergo sui laboris, & operæ stipendium meretur. Sed certè privatis hominibus non licet tantum lucrum accipere, quantum accipiunt nummularij: quia hi accipiunt multis de causis ratione sui muneris, & officij, quo in Republica funguntur.

Sed quid dicendum, si mihi opus esset pecuniam meam ex Hispania Romam invehere, & Titius à me peteret eam pecuniam Toleti in Hispania, eo pacto, ut eam mihi Romæ solvat, ubi ego eam indigeo, & quo eam aliqui etiam deportaturus: Queritur enim, an Titius, qui eam pecuniam recipit Toleti, ubi indiget, possit à me lucrum exigere? Respondet Sotus, posse quia reuera nummularij officium facit, importat enim, & transfert meam pecuniam ex Hispania Romam, ac proinde pericula, & labores suscipit, quævis ex accidenti, sine periculo & labore solvat Romæ, ubi fratrem, vel filium, famulum, vel socium habet, qui pro eo solvat. Sed ut dixi, non potest tantum lucrum accipere, quantum nummularius.

*De Cambio litteris fieri solito, quando nummularius primum dat pecunias, ut eas in alio loco recipiat.*

CAPIV VI.

**H**Oc cambij genus non est tam antiquum, quam id, de quo hæcenus, eiusque formula talis est: Titius nummularius dat Caio Romæ centum aureos, quibus indiget ipse Caius, qui deinde litteras scribit ad procuratorem suum Lugduni commemorantem, in hæc verba: Hisce primis litteris cambiij visis, & perlectis solus Scio procuratori Titij centum aureos, quia hic Romæ totidem à Titio accepi: & subscribit diem, mensem, & annum. Has litteras Caius Titio nummulario tradit, ut ipse eas Lugdunum mittat, ut eorum fide, & auctoritate, procurator ipsius Titij exigat Lugduni pecunias à procuratore Caij.

Primò queritur, An hoc cambium mutui ratione habeat? Gofse. Host. & alij in *cap. 16. Et in c. In civitate, de Vfur.* dicunt esse mutuum, quia nummularius non exportat, & transfert pecuniam Caij Lugdunum: dat enim Romæ pecuniam Caio, non recipit: eo ipso igitur dat mutuam eiusmodi pecuniam, quia obligat sibi Caium, ut solvat Lugduni, & Caius in omnem euentum solvere cogitur, ac proinde pecunie sibi Romæ data dominium acquirit. At Caiet. in *Opus. to. 2. tract. 7. cap. 7.* docet, non esse in hoc cambio mutuum: idem etiam tradiderunt Ang. *Vsur. 2. nu. 34. Sil. Vsur. 4. q. 9. R. o. sel. eod. verb. 6. nu. 7. Tabien. eod. verb. 15. §. 3. Sot. lib. 6. de Iust. qu. 10. art. 1. Nauar. in Man. c. 17. nu. 289. Fabian. in tract. de cambiis, par. 2. cap. 5. Et 6.* quæ sententia est multò verior, quia tale cambium sua natura non postulat vilius temporis lapsus, sed ex accidenti solum, quia in alio loco pecuniam solvunt, quæ si hic Romæ adessent, protinus redderentur. Accedit, quod mutuum potest idem numero restitui: at in tali cambio solvitur pecunia genere, vel specie, vel saltè numero diversa.

Secundò queritur, Ad quodnam genus contractus sit hæc species cambiij reuocanda? Caiet. in suo tractat. de cambiis, c. 6. Et 7. *Sil. Vsur. 4. q. 9. Fabian. de Cambiis par. 2. c. 5. Et 6.* affirmant, cambium hoc reuocari ad venditionem, nummu-

larius enim Titius nummos aureos præsentis Caio dat, & tradit tamquam pretium, quo emit nummos absentes ipsius Caij, & Lugduni sibi solvendo: putant enim non esse in hoc cambio permutationem vnius pecunie cum alia: quia rei præsentis, & rei certæ cum futura, & incerta, verè & propriè permutatio non est. *secundum Gloss. in Lt. C. De rer. permutat. Et secundum Bart. in l. Quoniam, C. eod. tit.* Sotus tamen *lib. 6. de Iust. quæst. 10. art. 1.* vult in hoc cambio nummularium non deserre ex vrb. Roma Lugdunum viliam pecuniam Caij, quia ab eo nummos non recipit, sed aliunde huc Romam pecunias invehere, quas Caio dat, ac proinde, sicut in superiori cambiij genere nummularius pecuniam ex loco, in quo recipit, alio exportat, & transfert, sic in hoc genere cambiij pecuniam, quam dat, importat aliunde in locum, ubi dat. Sed difficile sanè hoc intelligitur, vel explicatur, quia nummularius, nec suam, nec alterius pecuniam huc importat. Alij verò dicunt, hoc genus cambiij esse contractum innominatum, videlicet, Do, vt des: quoniam nummularius dat centum Romæ, ut totidem recipiat Lugduni. Cæterùm, meo iudicio, non est cur negetur, tale cambium esse verè, & propriè permutationem, quia Titius suam pecuniam præsentem cum absente pecunia Caij commutat.

Obiicies, permutatio non est rei præsentis, & certæ cum futura, & incerta, ut testantur *Gloss. Barr. Baldus loci supra citatis*, ac præsentem pecuniam potest emi, vel vendi pecunia, quæ longè abest, vel quæ est incerta: nam futuri fructus dubij, & incerti, pecunia præsentem vendi, & emi solent. Respondet, non permutari hoc genere cambiij pecuniam præsentem cum futura, vel cum incerta, sed cum pecunia certâ, & quæ in rerum natura consistit, in loco tamen distant, & remoto: quemadmodum potes tu commutare librum, quem Romæ habes, cum libro, quem Titius Florentiæ possidet. Nec cogimur allerere cum Soto, in hoc genere cambiij, etiã nummularium pecuniam deportare, videlicet aliunde huc, ubi eam dat: suam enim pecuniam Caio dat hic Romæ, & nullos Caij nummos deserre, vel transfert. Permutat igitur solum suam pecuniam cum pecunia, quam Lugduni Caius habet actu, vel potestate, quia eam Lugduni solvere potest, quoniam ubi eam habet, vel saltè ex alio potest quætere, petere, & accipere.

Tertiò queritur, Quibus ex causis nummularius ex hoc cambio lucrum accipiat? Qui hoc cambium ad mutuum referunt, cum negant posse lucrum exigere, nisi ratione eius, quod sua interest, puta, ratione lucri cessantis: nam suas omnes pecunias nummularius habet negotiationi expectans. Unde quia mutua dat centum Caio, lucrari desinit: ergo iure potest duo, tria, quatuorve exigere. Sed certè hæc causa legitima esse nequit, quia nummularius suas pecunias in hanc, & non in aliam negotiationem confert: ergo nullum lucrum, quod ex alia negotiatione erat comparaturus, perdit.

Caietanus verò, Si. uester, Fabianus, & alij, dicentes nummularium suam præsentem pecuniam dare, & tradere Caio tamquam pretium, quo emit, pecuniam sibi Lugduni solvendam, volunt cum posse lucrum accipere, quia pecunia præsentis plus æstimatur, quam pecunia loco distant. Sotus verò putat, ideo esse lucrum licitum, quia nummularius aliunde pecuniam huc importat, ubi eam dat, quæ propter ratione huius obsequij, quo alteri inferunt, lucrum meretur. Sed etiam multis de causis licitè lucrum exigit. Primò, quia permutat pecuniam præsentem cum pecunia remota, quæ sine periculis, labore, & impensis, huc, ubi eam permutat, nequit transferri.

Deinde, ratione officij, quo fungitur, congerendo, appatando, & alleruando pecunias in gratiam aliorum. Postremò, ratione obsequij, & beneficij, quod in alterum conferret: habet enim pecunias paratas, vt illas det indigenti. Quare quamuis pecuniam solutionem ad tempus expectet, lucrum tamen non accipit ratione solutionis ad tempus dilata.

Ex his liquido constat, vnde sit, vt aliqui hoc cambium, sicutum appellent: putant enim esse mutuum, ac proinde lucrum, & fructum non posse reddere. Conradus, & Medina

mixtum cambium appellant, ideo scilicet, quia sint duo contractus coniuncti, puta, mutuum, & permutatio: mutuum quidem, quia is, qui à nummulario pecuniam accipit, eius dominium acquiruntam suo periculo suscipit, & in omnem euentum restituere cogitur. Permutationem verò: quia verè & propriè nummularius pecuniam suam præsentem cum pecunia distantem permutat. Vnde nummularius, inquit, lucrum nõ mutui, sed permutationis vi accipit: quemadmodum si tu mihi commodares librum tuum, vt tibi cum alio in loco redderem, sed permutatum cum alio libro meo tantidem æstimatum, quem alio in loco habeo, esset commodatum cum permutatione coniunctum. Commodatum quidem, quia das mihi librum, quem sum tibi redditurus, vel saltem pretium eius: permutationem verò, quia pactum est, vt alium librum tibi restituam tantumdem valentem: & quia sum redditurus, non vbi tu mihi librum commodasti, sed alibi: ideo potes à me lucrum exigere.

Quartò quaeritur, An etiam ex hoc cambio lucrum sit licitum, quando fit in diuersis eiusdem regni, & prouinciæ locis? Sotus, Io. Bapt. Lupus, & Franc. Garzia locis superiori cap. memoratis, negant esse licitum lucrum. Attamen aliud ferendum est, per se quidem veritum non esse, sed nihilominus legibus, vel statutis humanis prohiberi posse. Ceterum nullo iure permittitur, vt tantum lucri exigatur, quantum ex cambio, quod fit in variis diuersorum regnorum, & prouinciarum locis; quia maiora, & plura possunt esse pericula, labores, & impensæ, ob maiorem locorum distantiam.

Quintò quaeritur, An etiam liceat priuato homini, qui nummularij officium non facit, lucrum ex hoc cambio percipere? Respondet Sotus, nisi sit humanis legibus interdicatur, licitum esse: sed non ei tantum lucri, quantum nummulario publico permittitur. Ratio vtriusque est: quia pecuniam præsentem cum absentem commutat, cum tamen absens minoris sit æstimationis, & alia pericula, & labores non suscipit, nec impensas facit, quas nummularius à Magistratu constitutus, vel publico officio functus.

*Quo modo ex cambio, quod litteris fit, liceat lucrum exigere, quando pecunia, quæ alibi datur, plus minusve valet, quam vbi ea recipitur.*

CAPVT VII.

**D**VBIÆ quaestio est, Quâ ratione nummularius lucrum accipiat, siue det, siue recipiat pecunias, quando reuera pecunia, quæ V. g. Romæ datur, vel recipitur, plus, minorisve æstimatur, quam in eo loco, vbi soluitur? Et ratio dubitandi est, quia in permutatione necesse est, vt æquitas seruetur, vt videlicet, res quæ permutantur, sint pretio, & æstimatione pares: alioquin opus erit, vt vnus permutantium suppleat, quod deest in altera re, ad damnum alterius compensandum. At si Titius nummularius Romæ dat pecuniam minoris æstimationis, inde fit, vt det minus, quam sit alibi recepturus, ergo æquitatem nõ seruat.

Deinde si, cum recipit pecuniam, vt in alio loco soluat, plus æstimatur in eo loco, in quo recipit, tunc plus recipit, quam soluit, ergo non est æqua permutatio. Præterea Titius (gratia exempli) nummularius dat Caio pecuniam Toleti in Hispania, eam vel in Belgio, vel Romæ recepturus: & quia Toleti minoris æstimatur, vbi maior est copia pecuniarum, lucrum exigit: quo modo igitur, quando Toleti recipit, non dat pecunias, exigit etiam lucrum? ita enim eadem est via eademque locorum longinquitas inter Toletanam, & Romanam urbem? Ergo si licitum est lucrum, quando dat Toleti pecunias, recepturus Romæ, licitum non erit, quando dat Romæ recepturus Toleti.

*Instit. Moral. Pars 3.*

Postremò, manifesta iniustitia, & iniquitas esset, si quis vilius aurum cum pretiosiori commutaret, aut si triticum deterius daret, melius recepturus, Sotus lib. 6. de iustitia, quæst. 12. artic. 1. docet, fas non esse nummulario lucrum exigere præcisè ratione cambij, quando minus dat, quam recipiat, aut plus recipit quam det, & artic. 2. ad finem. vers. ex quo efficitur tandem, condemnare, vel certe tanquam in dubio relinquere videtur, quod nummularij facere consueverunt lucrum exigentes; siue dent pecunias Romæ Toleti soluendas; siue è contrario, Toleti dent recepturi Romæ.

Idem quoque docere videtur Angelus V. supra i. num. 54. Rosella V. supra 6. num. 6. & 7. Siluester V. supra 4. quæst. 9. Tabien. V. supra 15. num. 13. idque etiam ipsa ratione concludi videtur. Nam si mutuum daret monetam nunc, vt eam alio tempore reciperes, quando certò credis plus valituram, vsuræ peccatum admitteres. Vsuræ itidem delictum esset, si certam frumenti mensuram nunc mutuum alteri traderes, vt tibi redderet alio tempore, in quo certò, vel probabiliter nosti plus æstimandam, vel maiorem esse futuram.

At ceteri Auctores Caietanus, Medina, Conradus, & Nauarrus de hac re nihil dubitant: nec meo iudicio dubitandum videtur: quia ipsi nummularij huiusmodi inæqualitatis pecuniæ nullam rationem habent, & tamen sciunt pecuniam hic minus, plusve valere, quam alibi. Et hoc probatur principali exemplo. Nam si, verbi gratia, in Sicilia centum tritici modios permutares cum totidem modijs tritici tibi in Hispania reddendi, quia esset permutatio, & tamen in Hispania plus triticum æstimatur. Sed huius ratio non habetur; quia tu in Hispania indiges tritico, vt tuos filios ibi sustentas, & ille alibi indiget tritico in Sicilia; vbi commoratur, & triticum cum tritico commutatur: & sicut tu periculo tuo, labore, & impensis esses in Hispaniam triticum deportaturus, sic alius in Siciliam non sine periculis, laboribus, & impensis triticum inueheret, & transferret. Pati ratione, tu, cum Florentinus sis, Romæ commotatus, vbi tritico indiges, & alius citius Romanus Florentiam filium suum mittit, commutat certos tritici modios quos habes, & das Florentiæ; cum totidem modijs tritici, quos recipis Romæ, quamuis Romæ triticum plus vendatur. His accedit, quod lucrum nummularius exigit diuersis ex causis, aliquando pluribus, aliquando paucioribus: quod patet, si per dicta duo cambiorum genera discutamus.

In primis enim, cum nummularius recipit pecunias, soluit eas in alio loco, vbi minoris æstimantur, lucrum accipit; quia quauis recipit plus, quàm sit soluturus alibi: attamen suo periculo, labore, & impensis pecunia argenti ex vno loco in alium deportat, & transferret, ergo lucrum meretur. Præterea obsequium alteri præstat in deferenda pecunia ad eum locum, vbi illa minus indiget. Obsequium iudem Reipublicæ vtile facit, eo acceruando, & alleruando pecunias ad cambiam.

Secundò, Quando nummularius è contrario dat alteri pecunias; recepturus eas in alio loco, vbi plus æstimantur, tamen minus dat, quam alibi sit recepturus, lucrum tamen accipit, non quidem quia tunc alterius pecunias alio deportat; sed quia ei in dandis pecuniis; vbi ille indiget, ipse inseruit, & quia suam operam, & industria posit in eo officio obeundo; & quia suam pecuniam præsentem vendit; vel permutat recepturus aliam longè distantem. Ex quo fit, vt diuersis ex causis lucretur nummularius, quando alteri pecunias recipit soluturus alibi; & quando pecunias dat in vno loco, recepturus in alio.

Ex his patet responsio ad argumenta Soti. Nam nummularius, siue det pecunias soluendas sibi alibi, siue recipiat soluturus in alio loco, lucretur semper ille; quia dat, permutat, vel vendit suos nummos præsentem cum absentibus alio loco remoto, qui eo ipso minoris æstimantur. Cum verò recipit soluturus alibi, deportat alterius pecuniam alio